Quelle: https://manuscripta.at/?ID=979
Copyright: Klosterneuburg, Augustiner-Chorherrenstift



Dicebat eis mulier. Si tetigero tantum fimbriam vestimenti eius salua ero. At illis conuersus videns eam dixit. Confide filia fides tua te saluam fecit. Et salua facta est mulier ex illa hora.

Lectio epistole. Ad romanos. xi.

Fratres. Nolo vos ignorare mysterium hoc ut non sitis vobis metipsis sapientes quia cecitas ex parte contigit israel donec plenitudo gentium intraret. et sic omnis israel saluus fieret sicut scriptum est. veniet ex syon qui eripiat et auertat impietates ab iacob. Et hoc illis a me testamentum cum abstulero peccata eorum. Secundum euangelium quidem inimici propter vos secundum electionem autem karissimi propter patres. Sine penitencia enim sunt donata et vocatio dei. Sicut enim aliquando et vos non credidistis deo. nunc autem miseriam consecuti estis propter illorum incredulitatem. ita et isti nunc non crediderunt in vestram misericordiam. ut et ipsi misericordiam consequantur. Conclusit enim deus omnia in incredulitate illorum ut omnium misereatur. O altitudo diuitiarum sapiencie et scientiae dei. quam incomprehensibilia sunt iudicia eius et inuestigabiles vie eius. Quis enim cognouit sensum domini. aut quis consiliarius eius fuit. aut quis prior dedit illi et retribuetur ei. Quoniam ex ipso et per ipsum et in ipso sunt omnia. Ipsi honor et gloria in secula seculorum amen. S.

Nullo tempore interrogauit matheum. xxi. illum unus de scribis quod esset primum omnium mandatum. Ihesus autem respondit ei. Quia primum omnium mandatum est. Audi israel. dominus deus noster dominus unus est. Et diliges dominum deum tuum ex toto corde tuo. et ex tota anima tua. et ex tota mente tua. et ex tota virtute tua. hoc est mandatum et primum mandatum. Secundum autem simile est huic. Diliges proximum tuum sicut te ipsum. Maius horum aliud mandatum non est. Et ait illi scriba. Bene magister in veritate dixisti. quia unus est deus et non est alius preter eum. et ut diligatur ex toto corde et ex tota mente et ex toto intellectu. et ex tota anima et ex tota fortitudine. Et diligere proximum tamquam seipsum. maius est omnibus holocaustomatibus et sacrificiis. Videns autem eum intelligentem quod sapienter respondisset dixit illi. Non es longe a regno dei. Epistola. Ad romanos.

Fratres. Infirmum in fide assumite non in disceptationibus cogitationum. alius enim credit se manducare omnia. qui autem infirmus est olus manducet. Qui autem manducat non manducantem non spernat.

Ergo